

ordinatae sunt : ibid : Item quisquis resistit magistratui , Dei ordinationi resistit. Rom. 13, 2. Vnde Magistratum DEI quoque ministrum appellat , Rom. 13. 4.

21. Hinc & licitum esse hunc ordinem, & Christianum bonâ conscientiâ eo fungi posse , invicta hac dñs dñe iż ei contra Anabaptistarum & aliorum fanaticorum furores demonstrari potest.

Omnis ordinatio DEI est bona & Christianis concessa. Ratio : Quia DEUS non est autor mali , sed solius boni,

Atqui verò Magistratus est Ordinatio DEI: vi testimoniorum scripturæ iam productorum.

E. Magistratus est ordo bonus, & Christiano homini licitus & concessus.

22. Frivolum autem & elumbe prorsus est , quod distinguunt adversarij inter tempus veteris & Novi Testamenti , & in illo quidem Magistratum gerere , licuisse , vel inviti largiuntur : in hoc verò idem concedere recusant , eo quod Magistratus officium per Evangelium sit abrogatum.

23. Ignoravit nimirūm hoc Apostolus , qui Romanis in novo profecto Testamento : sub regno Christi constitutis , luculentissimè testatum fecit . Magistratui esse obtemperandum , præpterea quod ille etiamnum sit & maneat bona DEI ordinatio , à DEO ipso non minus in novo , quam in veteri Testamento constituta.

Et